

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXIV. Alexandri Papae III. Ad VVilielmvm Et Oddonem Legatos. Vt  
eos qui propter defensionem rerum ecclesiae per Cantuariensem  
excommunicati fuerant ad satisfactionem debitam praestandam ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ter adipisci. Quapropter rogamus prudentiam tuam, atque monemus, quatenus semper illud præ oculis habens; Beati, scilicet, qui *persecutionem patiuntur propter iustitiam*, tuum nullis aduersis animum frangas, nec vlla tribulatione deponas, sed eum fortitudinis & constantiae virtute confirmes. Vbi vero iustitiam & libertatem ecclesiae deperire cognoueris, cum rege Anglorum in depressionem & diminutionem ecclesiasticae dignitatis pacem reformare nullo modo labores. Verumtamen, quantum saluo honore officii tui & libertate ecclesiae fieri poterit, te ipsum humilies, & ad gratiam & amorem suum recuperandum modis omnibus enitaris. Neque plus iusto de eo timeas, neque maiores quam oporteat, securitates requiras, quia (sicut credimus) ex quo se tibi reconciliuerit, minime te offenderet, nec a quoquam pateretur offendere. Nos enim (sicut tibi s̄apē viua voce ac literis proposuimus) te tamquam carissimum sincera caritate diligere volumus, & ad conseruationem honoris, libertatis, & dignitatis tuae augmentum, quantum diuina gratia concesserit, aspirare.

## E P I S T O L A XXIV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD VVILIELMV M ET ODDONEM LEGATOS.

Vt eos qui propter defensionem rerum ecclesiae per Cantuariensem excommunicati fuerant ad satisfactionem debitam præstandam compellant: quod si renuerint, eos iterum excommunicent.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis Vvilielmo sancti Petri Ad vincula presbytero, & Oddoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono, cardinalibus, & apostolicæ sedis legatis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**S**VGGESTVM est nobis, quod quidam eorum, quos venerabilis frater noster Thomas archiepiscopus Cantuariensis excommunicationi subiecerat, ecclesiae suæ nec non & clericorum eius bona & possessiones detinere, & iisdem incubare præsumunt. Vnde quoniam indignum est, vt bonis & possessionibus illis detentis a vinculo de-

L1 iii

beant, quo tenentur, absoluti: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si iam sicut audiimus, per aliquos sunt absoluti, ipfis ex parte nostra virtute iuramenti firmiter iniungatis, quod præsumptas possessiones & bona personis & ecclesiis, de quarum iure existunt, incontinenti relinquant, nec eas tenere, aut se in his de cetero intromittere qualibet occasione præsumant. Quod si ad vestrum præceptum non fecerint, vos eos omni dilatione & appellatione cessante in priorem excommunicationis sententiam, usque ad satisfactionem plenariam, reducatis. Si vero a vobis fuerint absoluti, id nihilo minus, sicut prædictimus, efficiatis.

## EPISTOLA XXV.

## ALEXANDRI PAPÆ III.

AD THOMAM ARCHIEPISCOPVM  
CANTVARIENSEM.

Significat se Gratianum cum quodam notario ablegasse ad regem, petiturum ne iura ecclesiæ violet, & cum eodem Thoma reconcilietur.

*Alexander seruus seruorum Dei dilecto fratri Thomæ Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.*

ILLVSTRIS regis Anglorum nuntios & literas acceperimus. Et cum a nobis per eosdem nuntios quædam magna & difficilia postulasset, & super iis obtinendis apud nos nuntii eius vehementer & fortiter institiissent, animum nostrum ad voluntatem suam nequaquam flettere potuerunt. Sed ne possent habere villam materiam & occasionem de nostra duritia conquerendi, & quod sibi nollemus in aliquo deferre, sequentes vestigia & exempla predecessorum nostrorum, quos sanctos esse non dubitamus, prædictum regem cum omni benignitate, modestia, & mansuetudine a suo reuocare proposito, & eius mitigare animum, & emollire disposuimus duritiam. Inde vtique fuit, quod nos (sicut de consilio & deliberatione fratrum nostrorum processit) dilectos filios nostros Gratianum subdiaconum, & notarium nostrum, virum honestum &